

Trophæum  
**DEO Immortali**

Pro ablata Pestifera lue  
Nomine Gymnasii erexit.

a D. S. P.



Vi concitato naufragus æquore  
 Ereptus almæ jugera patriæ  
 Sospes revisit, figit altas  
 Ille maris Domino Tabellas.  
 Qui bella Martis depositi feri  
 Et mente læta contigit arduas  
 Sedes paternas, solvit arma  
 Exuviasque locis sacratis.  
 Quæ grata donem jam tibi munera  
 JESU Redemptor, spes, amor unice,  
 Quod damna pestis depulisti?  
 Ecce fugit piæ corde cura.  
 O Chare JESU! Non opus est Tibi  
 Factis columnis marmore splendido,  
 Qui nostra clemens vota luctus,  
 Auribus ingenuis bibisti.  
 sed liberali concino dexteræ  
 Laudes decoras, carminibus tuam  
 Benignitatem concelebro;  
 Et tua prædico facta JESU.  
 Quamvis loquendi copia deficit,  
 Ac ore balbo proferimus sonos:  
 Tamen relictis Musa curis  
 Carmina læta Tibi rependit.  
 Benigne JESU, Nate DEI Patris,  
 Solamen almum rebus in arduis,  
 Tibi sit ergo sempiterna  
 Laus, & honor sine fine crescat.  
 Ego procumbens composito genu  
 Supplex vocavi Te precibus piis:  
 Veni Redemptor, CHRISTE JESU!  
 Tu veniens tuleras levamen.  
 Ego jacebam pestifera lue  
 Cinctus, tremebam terribili metu;  
 Sed tu vocabas voce clara:  
 Non timeas, Ego Te juvabo.

Sed

Ego rigabam lacrymulis genas,  
Fletus movebam. luctifono polum  
Questu premebam: me misellum  
Mors etiam jugulabit atra.

Sed tu querelam percipiens meam,  
IESU salutis fons pretiosior,  
Mœsto dedisti fida verba:  
Cur quereris nimium sodalis?

Cur clara spargunt lumina lacrymas?  
Cur das acerbæ tristitiaæ locum?  
Ego piorum sum Redemptor,  
Excipio lacrymas cadentes.

Ego jacentes leniter erigo,  
Ego gementes placo levamine,  
Langvore fractis reddo vires,  
Et rabidos adimo dolores.

Ego salutem do morientibus,  
Vinctis catenas, vincula, contero,  
Pressis benignam tendo dextram;  
Auxiliumque fero misellis.

Ergo querelis pone modum tuis,  
Rigare cessent lumina lacrymæ  
Quamvis profundit damna pestis,  
Tu tamen incolumis manebis.

Cum sic acutis auribus omnia  
Hæc imbibissem protinus opimum  
Afflicta sensit mens levamen,  
Lætitiaque fremebat alta.

O chare JESU dulce decus meum!  
Quid pro benigno retribuam Tibi  
Favore? Vel quæ dona tradam?  
Laus & honor Tibi sit perennis.

Non grata tantum carmina concinam,  
Tibi Redemptor, mentis opus piæ;  
Sed dono lingvam, corque lætum,  
Quod tua dextra luem removit.

Non

Fac, quæso, IESU, delicium meum,  
Ut sancta casto nomina pectore  
Gestem, relictis orbis atri  
Fraudibus atque dolis inquis.

Fac, ut decentes pectore candido  
Grates rependam, sancte DEUS, Tibi,  
Qui damna pestis mitigasti,  
Meque salute bona beasti.

Cantabo versu præsidium tuum,  
Amando IESU, rebus in arduis,  
Cantabo læto corde, versu,  
Te mihi suppetias tulisse.

Non perpetrabunt otia pessima,  
Ne tam decoro munere fungerer,  
Nunquam citatos forte cursus  
Turpia lucra meos repellent.

Exaudiamus maxima pauperum  
Lamenta, dextram tristibus Orphanis  
Demus, quod alta nos misellos  
Ætheris arce juvas, Redemptor.

O chare IESU præsidium meum !  
Da pectus, oro, conspicuum fide,  
Damnem tumultus grandiores :  
Pax comitata bonis triumphet.

Clemens honestas expoliat meam  
Mentem, sit ingens simplicitas comes,  
Me Zona cingat castitatis,  
Me pietatis honos coronet

Sacram peragrem justitiæ viam ,  
Vitet tumorem mens mea perfidum :  
Nam fastus ingens universis  
Est odium dedecusque justis.

Constante semper pectore perferam  
Mundi scelesti scommata turpia,  
Nec carnis ægræ probra curem,  
Nec satanaæ movcar furor.

Hæc

Hæc ergo dona tu precibus meis,  
Amando IESU, dulcis amor meus,  
Hæc ergo vitæ trade nostræ,  
Qui latirantia corda spectas.

Si quæ patravi turpia crimina,  
Si jussa Patris fors juvenilibus  
Annis terebam, sub profunda  
Mergito flumina, mi Redemptor.

O chare IESU perfugium bonum  
Peccantis! Eheu respice lumine  
Blando misellum, sume lapsum,  
Adjice me numero tuorum.

Sic corde læto, Cælipotens Pater,  
Tibi profundam carmina dulcia,  
Cujus tremiscunt cuncta motu,  
Qui regis æquora, prata, cœlum.

Sic corde læto, perpetuas Tibi  
Cantabo laudes, unica spes mea,  
IESU Redemptor, quod cruenta  
Morte luem rigidam levasti.

Sic corde læto perpetuas Tibi  
Cantabogrates, omnipotens Amor,  
Benigne Flatus, quod decora  
Prosperitate dics peregi.

Scendant honorum culmina cæteri,  
Laudis lucentur conspicuum decus,  
Da, quæso, possim dignitatis  
Conditor esse tuæ, IEHOVA.

Hæc ergo fiant, ô sacra TRINITAS!  
Qui donec artus Spiritus hos reget,  
Donec videbo solis astrum,  
Gratus ero Tibi corde, mente.

Non major autem nec potior mihi  
Erit voluntas, quam tua nomina  
Cantare versu, sæpe psallam:  
Laus & honor TRIADI sacrata!

